3.T

GERARDI BERGENSIS MEDICI IVRATI REIP. ANTVERPIENSIS, DE PRÆSERVATIONE ET CVRATIONE MORBI ARTICVLARIS ET CALCVLI, LIBELLVS.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini:
M. D. LXIIII.
CVM PRIVILEGIO.

NOBILI, PRVDENTI, AC CELEBRI D.D. Antonio Stralio, equeſtris militiæ Præfecto, ordinum ac ſtatuum Brabantiæ Commiſſario generali, Domino in Merxhem & Dambrugghe, &c.

GERARDVS BERGENSIS, Reip. Antuerpienſis medicus iuratus, S. P. D.

CVM VIDEREM *quàm plurimos eam artem, quam à maioribus ſuis accepiſſent, per ſe quidem illuſtrem, varia tamen ingeniorum exercitatione, &*

 nouis

nouis quibuſdam inuentionibus illuſtriorem reddere, ego quoquè (vt aliquid in communem Reipub. vtilitatem conferrem) hunc Libellum ad eorum exemplar conſcripſi; in quo non ea modò, quæ ab alijs tradita ſunt, explicantur, ſed præcipuè ea quæ & noſtra diligentia inuenta ſunt, & quibus feliciter hactenus vſus ſum in praxi quotidiana. Verùm quum nihil eſſe poßit tam purum & ſyncerum, quin aduerſariorum obtrectationibus exponatur, & ab ijs in diuerſum quoque rapiatur; aliquis mihi patronus inuenien-

ueniendus erat, qui hũc Libellum numero quidem paginarum paruum & exiguum, attamen ſua methodo curatiua, ſuis ſententijs, ſuis denique medicamentis non deſtitutum, ab omni iniuria vindicaret: quod cùm à nemine meliùs fieri poſſe conſtaret, quàm à te, qui ſtudioſos omnes & doctos colis & amplecteris, meque ſingulari quadam beneuolentia (vt ſæpiùs re ipſa didici) proſequeris, tum denique, quod hiſce remedijs non leue iuuamen aliquando perceperis; tibi dedicare placuit, quàm humaniſsimè petens,

tens, vt hoc munuſculum tale quale, boni conſulas, ab æmulorum calumnijs defendas, meq́ue in numero tuorum, quemadmodum hactenus feciſti, habere pergas; quod ſi feceris, vt omnino facturum confido, aliquando maiora à nobis in publicum proferentur. Vale.

DE PRÆSERVATIONE ET CVRATIONE MORBI ARTICVLARIS ET CALCVLI, LIBELLVS.

PODAGRICVS ET articularis cruciatus nõ ſolùm ex imbecillitate particularum corporis proficiſcitur, quoniam acceſſiones indeſinenter affligerent, quòd infirmitas continuè imbecillibus articulis adſit: neque etiam ex humore ſolùm, quoniam non in articulis modò incideret affectio: ſed vtrunque & humor præter naturam, & particularum debilitas morbum articularem ſuſcitant. Cùm enim membrorum nutrix facultas debilior ob cibo-

rum affluentiam defatigatur, cruditates continuè obueniunt, quæ ad articulos decumbentes hoc malum excitant: quod plerunque contingit in ijs qui per naturam, vel per accidens, frigidum atque humidum cerebrum habent. Hanc affectionem generant cruditates coaceruatæ, & ebrietates, & copioſa ingeſtio cibi, præcipuè tamen frigidi & pituitoſi, & immoderatus rei Venereæ vſus, & deambulationes concitatiores quàm pro more, ſtationes diutiùs productæ, & conſuetæ excretiones ſuppreſſę, necnon conſuetum exercitium intermiſſum: vt plurimùm verò aptitudines à parentibus in filios ac poſteros tranſferuntur, quod tamen ſemper non contingit. Vidi enim podagricos,

quorum parentes nunquam laborauerunt: ſimiliter etiam ab omni podagra liberos, quorum parentes admodum fortiter laborauerunt. Ad hoc malum producendum multùm etiam facit longum frigus, ſiue ab aëre, ſiue vento, ſiue aqua proueniat, quoniam ex longa intemperie membrum imbecillum redditur, vt Galenus in Methodo medendi ait: & ſi corpus tunc plenum fuerit humoribus, ij facilè ad loca imbecillia fluunt.

IN vniuerſum itaque crudorum humorum multitudo, & articulorum imbecillitas huius mali cauſſæ exiſtunt: ex ſententia tamen Pauli nonnullis aures quoque, & dentes, & guttur, & interdum etiam iecur, & lien articularijs dolo- *L. 3. c. 78.*

 ribus

ribus oblanguent, quibus certè, niſi protinus malum in articulos eructet, laborantibus magnum periculum imminet. Exuperans humor nūc quidem ſanguineus, nunc verò bilioſus, quandoque melancholicus, magna verò ex parte pituitoſus, flatulentus, atque crudus eſt, ex alimentorum copia atque ocio conflatus, qui, cùm in articulis longiore tempore inueterauerit, ita inſpiſſatur & glutineſcit, vt in lapidoſas articulorum durities (quas tophos nominant) conuertatur: nonnunquam diuerſi inter ſe commiſcentur humores, vnde malum & cognitu, & curatu difficilius eſt, ſæpe etiam plenè non curatur: nihilominus tamen, ſi omnes ſpecies & differentiæ rectè cognoſcantur,

tur, & ægri in omnibus medico obedierint, facilè eorum curationem fieri poſſe putamus. Proſequemur itaque vniuſcuiuſque ſpeciei ſigna, deinde curationem aggrediemur, ſi priùs generalia quædam præmiſerimus, in quibus ſæpe errores fieri contingit.

ALIQVANDO materiam frigidam medicus iudicat eſſe calidam, eò quòd frigida admota narcotizando iuuare videantur: ſimiliter quoque materiam calidam iudicat eſſe frigidam, eò quòd calida admota exhalando dolorem minuant: nonnunquam paroxiſmaliter multa materia frigida mouetur ad articulos, & magnum dolorem inducit, à quo deinde humores tenues, ſanguis nimirum & bilis,

lis, ex natura ſua facilè mobiles attrahuntur, vnde totum membrum calidum, rubeum, & ſimiliter vrina colorata, & pulſus celeriores efficiuntur, ægrotantes febricitant, continuò ſitiunt, atque vigilant: ex quibus veriſimiliter putat medicus, quòd principalis cauſſa ſit calida, quæ tamen eſt frigida: nam furia & dolor paroxiſmi hæc ſymptomata inducunt.

HIS itaque, atque alijs modis plurimi decipiuntur in cognitione doloris arthritici, quia materia continetur interiùs in neruis, lacertis, & ligamentis, & non apparet exteriùs. Conſiderandum itaque diligẽter, num locus tactu calidus percipiatur, & ſi complexio, conſuetudo, ætas, aër, & anni tempus, reliqua-

quaque particularia, conueniant in caliditate: quod vbi cōtingit, probabile eſt, quòd materia ſit calida. Si locus tactu percipiatur frigidus, & omnia, vel ſaltem plurima particularia conueniant in frigiditate, ſatis nobis indicatur, quòd materia ſit frigida. Si autem dolor fuerit ſine grauitate, & diſtentione, ſolam intemperiem ſine materia mali cauſſam eſſe ſtatuendum eſt. Si verò ſine grauitate cum diſtentione percipiatur, flatum eſſe cauſſam putandum eſt.

Hiſce ita generaliter de ſignis explicatis, ad magis particularia deſcendamus.

DOLOREM ſanguineum arguunt tumor magnus, rubeus, & pulſatiuus, locus tactu calidus, vrina ru-

na rubea,ſpiſſa,pulſus plenus, com plexio ſanguinea, tempus vernale, vitæ ſuauitas: & ſi multiplicata fuerint cibaria, quæ ſanguinem generant,& dolor magis affligit tempore matutino.

A BILE malum prouenire indicant dolor pungitiuus,& acutus, & multùm intenſus. Vix tumor eſt, ita vt æger potiùs caliditatē, quàm diſtenſionem,aut grauedinem percipiat: color (licèt etiam rubicundus appareat) magis tendit ad citrinitatem,quàm in tumore ſanguineo, & ſi digitò prematur, ſanguis vtpotè tenuis facilè fugit, reditque quàm antè rubicundior: nam ante preſſum, bilioſior eius ac flauior portio ſummam cutem occupabat, (tenuior enim, qui flauus eſt, ad

eam partem magis fertur, craſſior verò ac ruber minùs) digiti autem preſſum, qui ſub cute latebat ſanguis effugit, reditq; ad compreſſum locum cum flauo mixtus, cùm premere deſinis, vnde rubicundior apparet, ſed tamen minùs, quàm in dolore ſanguineo, & refrigerantibus medicamentis magis iuuatur, quàm calefacientibus: vrina eſt colorata, & admodùm tenuis, pulſus velox, particula patiens, multùm calida, ægrotans natura cholericus, & iuuenis, qui multùm laborauit in tempore calido, & regio eſt calida, & præceſſerint quæ multiplicant choleram, & ita de alijs particularibus, & dolor magis affligit in meridie vſque ad horam quartam.

Si à pituita malum proueniat,

dolor

dolor eſt modicus, & color non eſt immutatus, de quo ſit multùm curandum, & vrina eſt ſpiſſa, & remiſsè colorata, egeſtiones ſunt muccilaginoſæ, & locus patiens eſt tactu frigidus, & patiens eſt ſenex, phlegmaticus, ocioſus, mali regiminis, & multiplicauit cibaria, quæ generant phlegma, tempus eſt hyemale, & regio frigida, & tumor eſt mollis, in quo poſt preſſionem digiti, fouea manet ad tempus, & dolor magis affligit de nocte, quàm de die: quia pituita mouetur de nocte.

Si dolor eſt modicus, & æger eſt extenuatus, & melancholicæ naturæ, & in declinante ætate, & multiplicauit cibaria generantia melancholiam, & vrina eſt remiſſa, tenuis, & do-

& dolor magis affligit poſt meridiem circa veſperam, à materia melancholica malum prouenire putandum eſt.

Si autem dolor fuerit extenſiuus, ſine grauedine, & præceſſerit regimen multiplicatiuũ ventoſitatis, & tumor fuerit mollis, qui prementi digito facilè cedit, ſed foueam nõ retinet, flatum mali cauſſam eſſe putamus.

VERVM quoniam morbus articularis rarò eſt ſimplex, ſed ferè compoſitus ex pluribus humoribus, diligenter animaduertendum eſt, quis humor magis abundet, à quo quoque maior iudicatio curationis ſumi debet, reliquo tamen humore non neglecto.

Antequàm tamen ad particula-

rem curationem deueniamus, generalia quædam prȩmittenda ſunt, quemadmodum in ſignorum quoque tractatione factum eſt.

CONTINGIT non rarò quòd corpus plenum multis craſſis & viſcoſis humoribus, eorum partem expellat ad articulos, partem verò ob imbecillitatẽ in intimo relinquat, qui in aliquo loco inpacti obſtructionem faciũt,& putredinem, vnde febris, intermittens quidem ſi in primis venis, continua verò ſi in magnis.

Hîc medicus non tantùm morbum articularem conſiderare debet, ſed multò magis febrem, quæ cùm continua fuerit, ſemper periculum affert: cùm verò intermittit, facilè in continuam tranſit, ſi non debita

debita adhibeantur remedia, quæ ſunt ventris lenitio, venæ ſectio, ſi perito medico neceſſaria videatur, deinde humorũ præparatio atque concoctio, nouiſſimè verò eorum expurgatio.

Cautè tamen in hiſce febribus materia expurganda eſt & præparanda, ne inde morbus articularis exaſperetur, quòd omninò continget, ſi quis medicamento purgante materiam moueat & non educat, aut fortiter aperiẽtibus obſtructiones tollat: nam ita materia ad iuncturas facilè fertur, & morbum articularem auget: præparantia itaque mediocria eſſe debent, aut ſi efficatiora fuerint (quale eſt oximel & omnia diuretica) ea adiungenda ſunt, quæ moderatè aſtringũt, qua-

lia ſunt mel roſarum, abſynthium Romanum, plantago, roſæ, & ſimilia, quæ fluxionem ad articulos impediunt, & interim obſtructiones febrium tollunt: purgantibus quoque ea adiungenda ſunt, quæ aliquali aſtrictione fluxionem impediunt, & interim purgationem adiuuant, qualia ſunt mirabolani, rha barbarum, aloe, ſyrupus roſarum ſolutiuus, & ſimilia. Febris lenta, quæ ratione doloris omni ferè morbo articulari coniuncta eſt, tam magni facienda non eſt, vt peculiarem & ſpecialem curationem requirat, quemadmodum putrida, quia naturæ tantam vim & moleſtiam non infert, & ablato dolore tamque ſua cauſſa, ea etiam tolli ſolet.

De

De Præſeruatione.

QVI certis temporibus morbo articulari laborare ſolent, & ab eo ſe præſeruare cupiũt, ſummoperè abſtinere debent ab omni largiore potatione, ſiue vini, ſiue ceruiſiæ, ſiue etiam aquæ coctæ fuerit: nam cibum natare facit in ventriculo; & calorem naturalem extinguit; vnde difficiliores concoctiones, & multæ & magnæ cruditates ſequuntur: progignit etiam ex ſeſe plurimos humores tenues & ſeroſos, qui ſuapte natura facilè feruntur ad iuncturas, ſecumq; rapiunt, ſi qui humores craſſiores in medijs vijs fuerint: ſed bibendum eſt tantum quantum natura ſine grauedi-

ne & moleſtia concoquere bene po teſt, vnde certè calor natiuus roboratur, & concoctiones omnes meliores fiunt.

Abſtinere quoque conuenit (ſi poſſibile fuerit) ab omni vino, præcipuè tamen aceſcente, nigro, & potente, eò quòd nerui & articuli ab eo plurimùm lædantur. Verùm qui propter conſuetudinem, vel naturalem quandam inclinationem, vino carere non poſſunt, vtantur (ſi aluum aſtrictam non habent) albo tenui, diluto cum aqua chalybeata, vel aqua cui incocta eſt betonica, vel cinamomum, vel vtantur vino modicè rubeo, quod claretum nominant, per ſe quidem, ſi paruum fuerit: ſi verò generoſum, diluto cum aqua ſimplici cocta: qui

qui verò propter peculiarem conſtitutionem vinum rubrum non ferunt, vtãtur vino albo Rhenenſi aliqualem aſtrictionē habente: nam parum refert ſiue quis albo, ſiue rubro vtatur, modò in vtroque par fuerit aſtrictio, quæ cum communiter maior eſſe ſolet in rubro, id quoque communiter prę̨ferendum iudico.

Si verò aluus aſtricta fuerit, & omnino à vino ægri abſtinere poſſunt, vt veteres omnes volunt, loco vini vtantur aqua mulſa, quæ pro phlegmaticis in hunc modum conſici poterit:

℞. Aquæ lib.iiij. mellis optimi lib.j. fiat decoctio bene deſpumando ad lib. iiij. vel ſecundùm Paulum octo partes aquæ, viij. mellis

poterunt commiſceri, ſemper tamen plus vel minus mellis aſſumendum eſt, ſecundùm quod corpora magis vel minus videantur frigida: ſi verò corpus fuerit multùm frigidum, non malè addi poterit parùm cinamomi, cariophillorum, & nucis myriſticæ.

Pro colericis verò (omiſſis aromatis calidis & melle) in hunc modum aqua ſacchari parabitur:

℞. Aquæ lib. iiij. ſacchari lib. ß. fiat decoctio ad lib. iij. ß. vel circiter, cui ſubinde in fine decoctionis parum cinamomi integri non malè addi poterit ſaporis gratia atque confortationis ſtomachi.

Hæ aquæ multis modis vtiles ſunt: nam concoctionem iuuant, ventriculum abſtergunt, & ventrem

trem mouent, quò tamen magis co quuntur, eò magis concoctionem iuuant, quò verò minus coquuntur, eò magis aluum mouent.

In noſtra regione plurimi loco vini ceruiſia boni ſaporis vti malunt, quàm aqua mulſa. Verùm hi meo iudicio non rectè faciunt, nam ceruiſia eas qualitates non habet, quas Veteres aquæ mulſæ attribuunt. Plurimos enim noui, qui ex eius ſolius potu in morbum articularem inciderunt.

Vinum album, tenue, ſubtile, multi medici plurimùm commendant, eò quòd lotium non minùs moueat, quàm diuretica, quę à Galeno libro 14. Methodi medendi conceſſa ſunt; quod & nos quoque cõcedimus, ſi nimirum corpus omnino

nino & exquiſitè purum fuerit. Verùm quia corpora noſtra propter malum regimen vitæ, multis abundant excrementis & cruditatibus, quæ facilè rapiuntur huiuſmodi vino ad iuncturas, & morbum articularem excitant, parciùs & cum præmeditatione concedendum eſſe putamus.

Cibus quoque mediocris eſſe debet, boni ſucci, & qui facilè concoquatur, qui in phlegmaticis aſſus: in cholericis verò, melancholicis, & ſanguineis elixus eſſe vt plurimùm debet.

VITENTVR itaque diuerſa genera ciborum; itemque piſces, præcipuè tamen groſſi, viſcoſi, & ſquammis carentes, aues in aquis & paludibus degentes, vt ſunt anſeres,

ſeres, anates, & ſimiles: omnia quoque quadrupedia, exceptis vitulis & capreolis: qui ſatis bonum ſuccum gignunt, ouibus quoque caſtratis, maximè in Campania natis & nutritis, ſi cum ſaluia, rore marino & betonica aſſæ fuerint.

Vitentur quoque legumina, lac, caſeus, atque acida omnia, qualia ſunt acetú, mala aurantia & citria, & ſimilia: omnia quoque ſemicorrupta, qualia ſunt ea quæ aliquantulum putrefieri permittuntur, vt teneriora fiant, & maiore cum voluptate comedantur, iſta certè vbi aſſumpta fuerint, per ſuperiora expurganda ſunt, ſi æger facilè vomat, ſi minus, àluus ſubducenda eſt leuioribus medicamentis, vtpotè ℥.j. Caſſiæ recenter extractæ, vel ʒ.j.

vel

vel ij. ſpecierum hieræ picræ ſimplicis Gal. vel ʒ. j. pilularum alephanginarum.

Vtantur autem carnibus caponum, phaſanorum, perdicum, & pullorum. In vniuerſum carnibus boni ſucci, facilis concoctionis, & quæ poſt concoctionem debitam non relinquunt multas partes excrementitias, quæ phlegmaticis coquendæ ſunt cum aromatis calidis, cholericis verò cum aromatis frigidis, ſemper tamen aliqualem aſtrictionem habentibus.

TEMPVS ſumendi prandij manè ſit hora decima vel vndecima: cœnæ verò, hora ſeptima: nam ſeptem horarum ſpacium requiritur, antequàm cibus rectè concoquatur, attamen qui multùm phlegmatici

matici ſunt, & calorem naturalem habét debilem, vnico prandio con tenti eſſe poſſunt, vt Hipp. ait in libro de ratione victus in morbis acutis, qui ſubinde quoque vel ante & poſt cibum confectionem diatrionpiperion, vel cum cibo piper albũ vtiliter ſumpſerint: nam ventriculum calefaciunt, atque roborant, eiuſque concoctionem adiuuant, & vltrà vires ſuas non extendunt, vnde natura roborata reliquas operationes feliciùs obit, atque excrementa quoque expellit.

Noui enim quandam mulierem cui aluus per octo dies aſtricta, mota fuit vbi hanc confectioné ſumpſiſſet eo modo paratam, quemadmodum Gal. libro quarto de ſanit. tuenda deſcribit.

Omnis

Omnis quoque paſtio ita inſtituenda eſt, vt nunquam niſi cum fame ad menſam accedatur, & ab ea iterùm cum aliqua fame recedatur: quod ſi cõtingat plus ſatis comediſſe in prandio, in cœna ab omni cibo abſtinere conuenit: quòd ſi verò minùs comediſſe contigerit, & ante tempus ſtatutum cœnæ fames inualuerit, tum vel plenè cœnandum eſt, vel modico panis venter eſt placandus, ne interim prauas humiditates ex membris vicinis ad ſe trahat.

A prandio ſimiliter & à cœna ſummoperè cauendũ eſt ne ſtatim dormiatur: nam inde caput repletur multis vaporibus, ex quibus catharri generãtur, qui pernicioſi multùm eſſe ſolent in iſto morbo articula-

culari. De die itaque dormiendum erit nunquam, de noćte verò duabus horis vel circiter à cœna ſumpta poſt moderatam ſtationem, aut leuem deambulationem.

A Venere in totũ abſtinere admodùm eſt conueniens: verùm qui ex lege matrimonij eam omnino vitare non poſſunt, conuenientiſſimè exercebunt poſt primum ſomnum, tertia ſcilicet vel quarta hora à cœna ſumpta, quando à natura per ſe ſtimulantur: inconuenienter autem ſtatim poſt repletionem, incõuenientiſſimè verò ſtomacho ieiuno, vt Gal. ait in arte parua.

Exercitia manè, cùm aluus onus ſuum depoſuerit, & vẽtriculus fuerit liber ab omnibus excrementis, aggredienda ſunt, altè ſcilicet legendo,

gendo, loquendo, & cantando: deinde ambulando, præcipuè tamen ijs qui chyragra laborare ſolent: ſimiliter quoque brachia exercendo ijs, qui podagram magis verentur: nam ita non ſolùm excremēta partium diſcutiuntur, verùm etiam reuulſio contingit.

Euitabunt quoque quantū fieri poterit, omnes animi motus, præcipuè tamen iram & mœrorem, atque melancholiam. Atque hæc quidem obſeruanda veniunt, non ſolùm ijs, qui morbo articulari laborare ſolent, verùm omnibus qui ſanitatem conſeruare cupiunt.

De

De Præſeruatione, quæ fit Medicamentis.

CVM membra naturalia malè ſunt diſpoſita, ex optimo nutrimento plurima proueniunt excrementa, atque tunc ſola victus ratio ad præſeruationem non ſufficit: ſed opus eſt etiam medicamentis, quæ redundantem materiam euacuent, & partes naturales ad mediocritatem reducant, de quibus nunc deinceps tractabitur.

Tempore itaque veris, cùm humores diffunduntur, & ad articulos facilè fluunt, ſi ſolus ſanguis abundauerit, ſola quoque vena ſecanda erit: ſi alius quiſpiam humor cum ſanguine commixtus, ve-

næ ſectio vnà cum purgatione erit neceſſaria: ſi verò alius quiſpiam humor & à ſanguine ſeparatus, ſola purgatio erit ſufficiens.

Sed quemadmodum ante venæ ſectionem opus eſt ventris lenitione, ita quoque ante purgationem humoris, præparatione atque concoctione: qui ſi frigidus fuerit atque phlegmaticus (vt plerunque eſſe ſolet) hunc in modum præparari atque concoqui poterit:

℞. Mellis roſati colati ℥.iiij. ſumat duabus vicibus manè, deinde ℞. bethonicæ vel chamepitheos M. ij. abſinthij Romani M.j. fiat decoctio colata ad lib. j. in qua diſſoluãtur ſyrupi de ſtœchade ℥.vj. & aromatizetur, cinamomi ʒ.ij. & fiat potio, quæ tribus diebus manè im-

immediatè poſt præcedens mel roſarum ſumatur.

Diuretica omnia fugienda ſunt, niſi corpus exquiſitè purum fuerit: nam alioqui multam materiam rapiunt ad iuncturas, & morbum articularem excitant.

Si ſumptis hiſce potionibus, ſigna concoctionis in vrina appareant, purgatio hũc in modum inſtituenda erit:

℞. Maſſæ pilularum de hermodactylis maio. ℥.j. vel ℈ iiij. ſecundùm virtutem ægri, trociſchorum alhandal, maſticis añ grá j. cum ſyrupo de ſtœchade formentur pilulæ quinque, & deauretur, quæ ſumantur de media nocte.

Si verò humor fuerit calidus, & cholericus, hoc modo præpa-

randus erit: ℞. Cichorij M. ij. ſi fuerit ver, vel ęſtas: ſi verò hyems, vel autumnus, recipe radicum cichorij ℥.iij. plātaginis cum toto M. ß. florum roſarum P. j. fiat decoctio colata ad lib.j. in qua diſſoluantur ſyrupi de cichorio, vel de endiuia ℥. iiij. & fiat potio, quæ ſumatur quatuor vicibus manè.

Si deinde concoctio in vrina appareat, hoc modo fiat purgatio:

℞. Maſſę pilularum de hermodactylis minorum ſecundùm Meſuem ʒ.j. vel ∋.iiij. diagredij, maſticis an̄. grā.j. vel ij. ſecundùm fortitudinem ægri, & cum melle roſato formentur pilulæ quinque, & deaurentur, & ſumantur de media nocte. Loco tamen pilularum non malè ſumi poteſt manè in aurora electua-

electuarium de ſucco roſarum ad ℥.ß. vel ʒ. vj. plus vel minus ſecundùm fortitudinem ægri cum ſyrupi roſarum ſolutiui ℥. j.

Prædictorum quoque purgantium loco rectè ſequens electuarium ſubſtitui poteſt, quod ſic habet:

℞. Hermodactylorum alborum à cortice ſuperiore mundatorum, diagridij añ. ʒ. ij. coſti, cimini, gingiberis, cariophillorum añ. ʒ. j. trita & cribulata confricentur cum ſyrupo facto ex melle & vino albo, inuicem coctis donec formam ſyrupi recipiant, & fiat electuarium in forma opiati, cuius doſis ſit ʒ. ij. vel iij. vel iiij. ſecundùm tolerantiam ægrotantis.

Si humor fuerit melancholicus,

quod rarò cõtingit,hoc modo præparari debet:

℞. Fumariæ, boraginis, cetrach añ M. j. abſinthij Romani parùm, fiat decoctio in aqua mellis colata ad lib. j. in qua diſſoluantur ſyrupi de boragine ℥. iiij. & aromatizetur, cinamomi ʒ. ij. & fiat potio quæ ſumatur quatuor vicibus manè, deinde hoc modo fiat purgatio:

℞. Confectionis hamech, vel diaſenæ ℥. ß. vel ʒ. vj. ſi fortis ſit æger, & materia peccans ſit multa, ſyrupi roſarum ſolutiui ℥. j. decoctionis boraginis ℥. iij. fiat hauſtus, qui manè cum cuſtodia ſumatur. Eius quoque loco ſubſtitui poteſt maſſæ pilularum de fumo terræ vel indarum ʒ. j. vel ℈ iiij.

Eodem quoque modo præparan-

randi ſunt & purgandi, qui morbo Gallico laborauerunt, & nunc morbo articulari laborant.

Si humor peccans nō exactè cognoſcatur, diacatholico, quod omnes humores purgat, vtendum eſt, cui ſecundùm iudicium boni medici commiſceri poteſt electuarium de ſucco roſarum, vel confectio hamech cum ſyrupo roſato ſolutiuo: ſemper tamē ſtudioſè in omni purgatione cauendum (vt ante quoque dictum eſt) ne materia moueatur, & non educatur, quod vbi per errorem cōtigerit, clyſter emolliens eſt iniiciendum, quod quoque ſemper faciendum eſt vno die ante purgationem pilularum, quotieſcunque venter ſtypticus fuerit: in quo caſu quoque cum electuario ſolu-

tiuo ſemper lenitiuum erit commiſcendum.

Quòd ſi quidam propter imbecillitatem fortiora iſta non ferant, illi rhabarbaro, agarico, folijs ſenæ, ſemine chartami, tamarnidis, & mirabolanis, manna, & caſſia, & ſyrupo, vel melle roſarum ſolutiuo, purgandi erunt.

Cùm peracta fuerit purgatio, quod ferè contingit quinta vel ſexta hora à ſumptione medicamenti fortis, iuſculi caponis vel carnis ℥.vj. cum mellis roſarum ℥.ij. exhibendæ ſunt, vt ventriculus & inteſtina abſtergeantur, & mundentur à moleſtia medicamenti purgantis, atque etiã aliqualiter roborentur.

Altero die à purgatione ijs qui conſtitutionem habent frigidam,

exhi-

exhibenda eſt mithridatij ʒ.j. quod multùm membra corroborat,& humiditatem exiccat: qui verò conſtitutionem habent calidam, conſeruæ roſarum ℥. j. ſumant: poſteà ad magis particularia medicamenta deueniendum eſt.

QVI ex cauſſa frigida podagricos dolores incurrere ſolent,plerunque frigidi & humidi cerebri eſſe conſueuerunt, quibus certè caput corroborandum eſt, tum ijs, quæ interiùs aſſumuntur, tum etiam ijs quæ exteriùs admouentur: Interiùs quidem,ſi ſingulis hebdomadis ſemel mithridatij ʒ.j. ſumatur, vel ʒ. ij. ſacchari diamoſchi dulcis: Exteriùs verò hoc modo:

℞. Corticis citrij, maioranæ, ſtœchados, verbenæ, calamenthi

añ ℥. j.ß. ſe. negellæ ʒ.iij. ſandarachæ ʒ.ij. maſticis, thuris, ſantalorum citrinorum, nucis muſcatæ, cariophillorũ añ ʒ.j. fiat puluis ſubtiliſſimus, qui interſuatur intra duo biſſa, ſecundùm artem, & fiat ſucculus, qui facta prius frictione; & pectinatione debita calidus capiti ſuperponatur: vel manè quoque (poſtquàm aluus deiecit, & nulla cruditas ampliùs in ventriculo percipiatur) adhibito ſapone aliquo odorato, caput ex alto inſtillando abluatur lixiuio facto ex cineribus roriſmarini, vel ſementorum viticum, vel ligni quercini, cui incocta fuere chamœmillæ, roſarum, maioranæ, bethonicæ, ſaluiæ, verbenæ añ parum, cariophillorum, nucis muſcatæ, cinamomi, añ ʒ.j. agarici tenui-

tenuiter inciſi, & in panno lineo ligati ℥. ij. quo facto, pannus moderatè calidis primùm exiccetur, deinde exquiſitè cooperiatur, ægerque in domo ſe contineat, ne à frigore exteriore aliquo modo lædatur; pomum quoque odoratum naribus admoueatur, quod confectũ ſit ex ſeminibus nigellæ, ladano, nuce muſcata, cariophillis, ambra, & muſco: vel ſemen nigellæ torrefactæ per ſe in ſindone ligetur, & eius odor per nares attrahatur ab ægro ante paſtum: mirificè enim capitis humiditatem abſumit, & cerebrum corroborat.

Si tanta frigiditas fuerit in cerebro, vt manifeſtè ab ægro ſentiatur, tunc admodùm conueniens eſt linteaminibus calidis, vel ſacculis

ex ſe-

ex ſemine nigellæ cõfectis tam diu caput calfacere, donec calor ſatis euidenter ſentiatur. Atque hiſce quidem vtendum eſt, donec catharrus, qui priùs erat tenuis & ſubtilis, craſſus reddatur: quo facto, exhibendum eſt medicamentũ, quod per nares attrahere poſſit, quale eſt illud quod ſequitur:

℞. Aquæ bethonicæ, aquæ maioranæ, aquæ mellis añ. ℥. ij. nucis muſcatæ, ſe. nigellæ puluerisatarum añ. ℥. ß. commiſceantur, & tepidè per nares attrahantur: vel prędictorum loco vti licet ſucco betæ depurato per ſe, vel mixto cum aqua maioranæ, vt communiter fieri ſolet.

Hiſce ita rectè peractis, articuli quoque roborandi erunt, quod in

in hunc modum commodè fieri po
terit:

℞. Salis, aluminis, ſiccatorum, & tenuiter pulueriſatorum an̄. M. j. nucis muſcatæ ℥. j. ß. ligētur in ſacculo lineo, & eo fricentur articuli manè, quando æger aluū exonerauit, vel linteis vel ſpongijs nouis, infuſis in vino rubro auſtero, cui incocta ſunt ſaluia, ros marinus, betonica, & ſtœchas, & iterum ſiccatis articuli fricentur multùm vel parum, non autem mediocriter, vnde fit attractio ad locum, atque eius impingatio, multùm autem primò materiam attrahit, quam tamen etiam diſcutit, parum verò materiam contentam diſcutit, & aliunde non attrahit.

Sal quoque in oleo omphacino
con-

contritum,& articulis cum frictione impactum, cũctos podagricum morbum euitare ſtudentes, magnificè iuuat, qui nimis aridam corporis temperaturam non habent, ſed laxam potiùs, carnoſam,& humentem: in quibus quoqne loco olei, aqua vitæ cum ſaluia diſtillata, commodè ſubſtitui poteſt, vel vinum rubrum auſterum per ſe, vel cum puluere ſaluiæ, roriſmarini, ſtœchados, & cariophillorum. Hoc quoque emplaſtro frequenter & felici cum euẽtu vſus ſum, quod ſic habet:

℞. Terebinthinæ lib. j. coquatur parum, cui in fine coctionis addatur pulueris olibani, roſarum, myrtillorũ, maſticis, nucis muſcatæ, cariophillorum, cinamomi, macis,

cis,añ ʒ. j. deinde in eo adhuc calido pannus lineus intingatur, qui poſtea parum exciccatus, ponatur ſuper locum iuncturarum imbecillem, cui deindè ſuperponatur corium caninum more coriariorum præparatũ, & ligetur à perito chyrurgo debitè ſecundùm artem, & ſingulis menſibus renouetur.

Hoc certè emplaſtrũ multis modis præſtantiſſimum eſt, nam poteſtate ſimplicium intrãtium neruos corroborat, & fluxionem inhibet, ratione verò corij canini calorem naturalem conſeruat, ratione verò ligaturæ fluxionẽ ad articulos fieri prohibet: oleum quoq; cariophillorum, macis, & ſimilia, in præſenti caſu non inutilia ſunt, minus tamen conferunt, quàm prædictum em-

emplaſtrum: quia ratione olei ſemper aliquam relaxandi vim habent adiunctam. Atque hiſce quidem medicamentis vtendum eſt in ijs tantùm, qui corpus purum habẽt, & podagricos dolores à cauſa frigida incurrere ſolent.

De curatione arthritidis.

SI dolor articularis ex ſanguine proueniat, atque ex certis ſignis multum ſanguinis in maioribus vaſis contineri videatur, hunc in modum curatio inſtituatur: Manè hora vna ante paſtũ venter leniatur ʒ. j. caſſiæ recenter extractæ, vel ʒ.ij. mannæ diſſolutæ in iure carnium, vel ʒ.iij. vel iiij. ſyrupi ex

pi ex multiplici infuſione roſarum puri,& inpermixti, ſiue ſcammonio, folijs ſenæ, rhabarbaro, & reliquis purgantibus, qui certè conuenientiſſimus eſt,eò quòd præter purgationem ſua aſtrictione fluxū inhibeat: deinde manè ſequentis diei,ſi tunc etiam ſponte aluus deiecerit,vena è directo loci affecti aperiatur.

Si verò non deiecerit, balano proritetur, quo facto vena, vt dictum eſt,ſecetur, ex qua tamen tantū ſanguinis non extrahatur, quantum morbus requirit: nam in omnibus morbis longis(è quorum numero hic vnus eſt,) aliquid naturæ concedendum eſt,vt ad extremum vſque finem perdurare poſſit, & morbum ipſum ſuperare, ijſdem

quoque remedijs ſi vtantur ij, qui primo articulari morbo corripiuntur, teſte Celſo, mirificè iuuantur: nam (vt experientia propria obſeruatum eſt) vel in vniuerſum curantur, vel ſaltem ad annum integrum liberi euadunt.

Si verò hic morbus proueniat ab humore alio, & à ſanguine ſeparato, ſtatim ante præparationem & concoctionem, ſi vires ferãt, purgatio inſtituenda eſt: nam ſi humor tam ſubtilis fuerit, vt facilè feratur ad iuncturas, facilè quoque medicamentum purgans ſequetur, niſi eius pars tenuior ad iuncturas fluxerit, & craſſa in interioribus remanſerit: tunc enim ante purgationem præparatio atque concoctio præmittẽda ſunt, vt capite De præ-

præſeruatione dictum eſt.

Si verò tam imbecillis natura fuerit, vt materiam peccantem ad iuncturas pellere non poſſit, atque etiam medicamenta purgantia nõ ferat, quemadmodum in ſenibus atque ijs qui ex longo morbo multùm debilitati ſunt, contingere ſolet, tum ſtatim iuuanda eſt natura per ea quæ intrinſecus aſſumuntur, & quæ exterius admouentur: intrinſecus quidem concoquentibus atque corroborantibus, qualia ſunt aromaticum roſatum, diamoſcum dulce, & amarum, & diamargaritum calidum, & ſimilia: vel decoctum quod ſequitur.

℞. Hyſſopi, mentæ, abſinthij Romani, agrimoniæ, meliſſæ, borag. cetrach, betonicæ, añ. ℥ j. ſeminis

aniſi,feniculi, añ.ʒ.ij. trium florum cordialium añ.P.ij. fiat decoctio ad lib.j.ß.in aqua mellis deſpumata,& aromatizetur cinamomi ʒ. ij. pul. diamargariti calidi ʒ.j. ſumat manè ℥. quatuor, vel quinque pro vice, vbi priùs comederit ʒ. ij. alicuius ſacchari ex prædictis: extrinſecus verò mollibus frictionibus, vt nimirum molliter & ſine moleſtia materia in interioribus relicta ad exteriora prouocetur.

Si verò hic morbus (vt plerumque fieri ſolet) ab humoribus ſanguini commixtis proueniat, venæ ſectio eo modo, quo prædictum eſt, inſtitui debet, & poſtea ſequenti die purgatio, niſi quoque humor craſſior eſſe ex lotio appareat, quàm vt medicamentum

mentum purgans commodè ſequi poſſet, in quo caſu humor priùs præparari debet ſecundùm modum priùs dictum, atque deinde purgari, idque toties eſt faciendum donec omnis cauſſa antecedens fuerit ablata.

Si ob imbecillitatem naturæ, humor ad articulos expelli non poſſit, ſed in interioribus relinquatur, pro diuerſitate loci quem occupat, diuerſos cauſſat morbos, eoſque ferè lethales: ſi enim impingitur in ſubſtantiam iecoris, hepatidem excitat: ſi in maiores venas, febrem continuam: ſi verò in membranam coſtas ſuccingentem, pleuritidem.

Verùm hiſce morbis occurrendum eſt, ſi curari poſſe videantur,

 (ſem-

(ſemper tamen mitigari debent) ſecundùm propriam curandi rationem & methodum, quæ ex alijs libris peti debet: victus ratio hunc in modum inſtituatur:

Cholerici, quia calorem habent fortem & depaſcentem, copioſiore egent alimento, quàm phlegmatici, qui calorem habent debilem, & ferè nutrimentum ſuum ſecum portant: in vtriſque tamen diligenter curandum eſt, ne quid exhibeatur, quod vel difficulter concoquatur, vel facilè corrumpatur: nam ratione doloris, vt plurimùm lenta quædam febris eſt coniuncta, quæ calorem naturalem diminuit, & omnia, quantum ex ſe eſt, ad putredinem conuertit. Non minus quoque curandum

dum, ne copioſius alimentum aſſumatur: nam alioqui calor natiuus circa id occupatus cauſſam morbificam minus concoquit, & ſuperare nititur.

Cholerici itaque vtantur carnibus boni ſucci & facilis concoctionis, quæ ex ſe frigidæ ſunt, vel herbis frigidis ſunt alteratæ, de quibus capite De prężeruatione ſatis dictum eſt. Vtantur quoque oleribus ex malua, ſpinachia, & præcipuè lactuca, confectis, quæ præterquàm quòd refrigerat, etiã bonum ſuccum gignit. Vtantur quoque iuſculis carnium laudabilium, in quibus incoctæ fuerint herbæ frigidæ & humidæ, vel veſpertino tempore hordiato ſecundùm communem rationem confe-

cto. Pro potu verò vtátur aqua hordei, cui in fine decoctionis adiectū ſit modicū roſarum ſiccarū rubearum, vel paululum ſyrupi ex roſis ſiccis, vel ſyrupi granatorum, ne bileſcat in ventriculo calido, ſtatimque cùm ab igne fuerit remota, coletur, ne turbida fiat, & ingrata bibentibus reddatur.

Phlegmatici quoque vtantur carnibus boni ſucci, & facilis concoctionis, ſed quæ natura ſua ſint calidæ, vel aromatis calidis fuerint alteratæ, niſi febricula vel calor ex magno dolore adfuerit: tunc enim à calidis cibis cauendum eſt, quia ſymptoma maius eſt quàm morbus, vel harum iuſculo vel contuſo, ſecundùm quod prudenti medico magis videbitur conuenire.

Pro

Pro potu verò vtantur aqua mellis confecta ſecundùm modum capite De præſeruatione præſcriptum: magis tamen ſit diluta, ſi calor febrilis adfuerit, qui vt plurimùm prouenire ſolet ratione doloris.

Et quia magni dolores ſpiritus diſſipare ſolent, & vires deijcere, neceſſarium quoque fuerit, quòd cholerici ſubinde vtantur electuario trium ſantalorum, vel diamargarito frigido, vel conſerua roſarum. Phlegmatici verò diamargarito calidò, aromatico roſato, conſerua boraginis, & ſimilibus: ſi calor multus adfuerit, prædictis commiſceantur electuaria frigida, quale eſt electuarium diarhodom abbatis, diamargariti frigidi, & ſimilia.

De medicamentis localibus.

POSTQVAM medicamenta toti corpori deſtinata, mediocriter fuerint à nobis explicata, ſupereſt nunc vt ad particularia (quæ topica ſiue localia nominantur)accedamus: in quorum tractatione hunc ordinem ſeruabimus, vti priùs declaremus ea quæ cauſſæ calidæ, deinde verò, quæ cauſſæ frigidæ conuenienter accommodari poſſint: anteà tamen omnibus notum eſſe velim, medicamenta iſta parum vel nihil potiùs auxilij allatura, niſi priùs corpus purum & ſyncerum fuerit ab excrementis. Quoniam autem communiter articulari morbo laborantes, ſiue ex cauſſa calida, ſiue frigida,

in dorſum cubant, eorum renes & lumbi ita incaleſcant, vt tandem intemperiem contrahant calidam, cui hunc in modum occurrendum erit. ℞. infrigidantis Gal. recenter facti ℥. j. & eo regio renum bis in ſeptimana inungatur, ita tamen vt vltra quartam horæ partem ſupra locum affectũ non relinquatur, ſed diligenter abſtergeatur, & denuò iterum fiat inunctio, iterumque abſterſio vt prius, vſque ad quatuor vices: alioqui à corpore noſtro excalfactum non refrigeraret, ſed calorem renum augeret.

TVMORES articulares calidi hunc in modum conſiderãdi ſunt: vel enim ſunt cum magno & intolerabili dolore, vel cum magno

I. feruo-

feruore & caliditate, quæ priùs vel auferenda ſunt, vel ſaltem mitiganda, antequàm vera curatio inſtituatur. Si itaque dolores fuerint magni & intolerabiles, ita vt ſpiritus diſſipentur, vires proſternantur, & æger in ſyncopen (quæ mors parua eſt, & ſæpius iterata, mortem magnam inducere ſolet) ſæpiùs incidat, vel periculum ſit quòd incidere poſſit, tunc narcoticis & ſtupefacientibus ſtatim erit vtendum, quæ (licet temperies partis ſoluatur, & calor natiuus extinguatur) potiùs adhibenda ſunt, quàm permittere totum corpus ex intolerabili dolore perire. In hunc autem modum commodus eorum vſus eſſe poterit. ℞. Medullæ panis ſeculini in lacte maceratæ, &

parum coctæ ℥. ij. vitellum oui vnius, opij ʒ. j. croci ℈. ß. olei roſati ℈. ſ. commiſceantur omnia inter ſe, & fiat cataplaſma ſupra locum dolentem applicandum, tam diu donec ſtupor & aliqualis inſenſibilitas fuerit introducta; verùm tunc ſtatim remoueatur, atque ſtupor (qui partem imbecilliorem reddidit) continuò medicamentis calidis ad mediocritatem reducatur: nouiſſimè autem vera curatio (vt poſteà dicetur) inſtituatur. Si verò dolor fuerit magnus & intolerabilis, ſed vires conſtent, & periculum nullum ſyncopis immineat, hunc in modum leniendus erit. ℞. Luteum oui vnius, olei roſatij ℥. ij. vini Rhenenſis modicum, commiſceantur omnia inter ſe, &

fiat

fiat linimentum , quo locus dolens inungatur. Iuuat quoque mirificè, ſi farina hordei,vel fabarum cum vitellis ouorum commixta, in forma cataplaſmatis ſuper locum dolentem ponatur, quibus quoque non incommodè herbæ frigidæ (vtpote ſolanum , portulaca, ſemperuiuum, & ſimilia) commiſceri poterint. Huiuſmodi quoque fomentatio rectè prædictorum loco ſubſtitui poterit. ℞. Roſarum rubrarum M.j. lactis lib.iiij. coquatur parum , deinde fiat fomentatio loci dolentis duobus linteis calidis, vt vno ſiccato alterum ſtatim ſubſtituatur. Si magnus feruor in membro percipiatur, hunc in modum extinguendus erit. ℞. muccaginis ſeminis pſyllij extra-

ctæ

ctæ cum aqua roſacea, vel ſolani, ℈. ſ. aceti vini Rhenẽſis modicum, miſceantur, & ſuper locum dolentem applicentur: verùm poſtquàm incaluerunt, remoueantur atque renouentur, idq́ue toties, donec omnis calor ſatis extinctus eſſe videatur. Plurimi chirurgi dolorem mitigant, atque feruorem extinguunt bolo armeno commixto cum albumine oui: verùm hi, meo iudicio, non rectè faciunt: nam meatus cutis conſtringendo atque infarciendo, materiam contentam diſſipari non permittunt, ſed in membro concludunt, vnde ſæpiùs gangrenam prouenire vidi. Quòd ſi ſola ſubeſſet intemperies ſine materia, vtique eorum actionem conuenientem eſſe putarem.

Iis itaque vtendum cenſeo, quæ intemperiem tollunt, & materiam contentam diſcutiunt, qualia ſunt farina fabarum, hordei, & ſimilia. Poſtquàm hunc in modum dolor fuerit mitigatus, atque omnis feruor extinctus, vera curatio auſpicanda erit, quæ (ſi materia antecedens ad iuncturas adhuc fluat) tribus intentionibus perficietur repellendo nimirum quod fluit, diſſipando quod fluxit, atque membrum ad naturalem temperiem reducendo, quæ omnia non incom modè hiſce medicamentis fieri poterunt. ℞. Olei roſarum cui incocti ſunt lumbrici terræ ℥. ij. & eo inungantur articuli manè & veſpe ri, vel ℞. foliorum maluæ M. iij. coquantur in ſufficienti quantitate aquæ,

aquæ quantū ſatis eſt,& piſtentur, deinde addendo farinæ hordei M. j. roſarum rubrarum in puluerem redactarum M. ß. croci ℈. j. olei roſarij. ℥. ſ. fiat cataplaſma bis in die ſuper iuncturas dolentes applicandum, vel ℞. corticum granatorum M. ij. coquantur in vino auſtero immaturo vſque ad diſſolutionem. Deinde ℞. foliorum ſemperuiui ſummitatum molliorum rubi, añ M. j. contundantur omnia fortiſſimè, & paſſentur per ſtraminium (vt vocant) deinde addendo farinæ hordei M. j. vini Rhenenſis ℥. ſ. fiat cataplaſma ſupra iuncturas dolentes applicandum, æſtate frigidè, hyeme verò calidè. Si verò omnis cauſſa antecedens fuerit ſublata, ſolis diſ-

ſipantibus atque refrigerantibus vtendum, qualia ſunt oleum chamæmelinum, anethinum, lumbricorum, cum farina hordei, vel fabarum in forma cataplaſmatis commixta. Si tumor in articulis fuerit durus, vnguento altheæ, vel axungia gallinæ tam diu inungendus eſt, donec molleſcat: atque tunc diſſipantibus prædictis vtendum, donec omnis tumor euanuerit. Quibus ita rectè peractis, articuli corroborandi ſunt, fotu nimirum vini auſteri, cui incocta ſunt aſtringentia, partim frigida, partim quæque calida, qualia ſunt gallæ balauſtræ, ſumach, malicorium, roſæ, ſandali, alumen, flores chamœmillæ, & ſimilia. Cùm tumores articulares fuerint ex cau

ſa

ſſa frigida, primò conſiderandum, num cerebrum frigida & humida intemperie laboret, quemadmodum capite De præſeruatione dictum eſt, cui occurrendum erit ijs medicamentis, quæ citato loco ſatis declarata ſunt. Deinde num magnus & intolerabilis dolor adſit, qui ſi tantus fuerit quòd ſpiritus diſſipet, & vires proſternat, ſtatim antequàm vera curatio inſtituatur, mitigandus erit: non tamen medicamentis narcoticis, & ſtupefacientibus, quemadmodum in curatione tumoris calidi dictum eſt: nam membra per ſe imbecillia imbecilliora reddunt, & calorem naturalem debilé extinguunt, ſed calidis potiùs inſignem quandam acrimoniam habẽtibus, quale

eſt illud quod ex euphorbio paratur in hunc modum: ℞. axungiæ gallinæ, olei chamæmelini añ ℥. j. olei maſtichis ʒ. ij. euphorbij ʒ. j. (vel plus vel minus ſecundùm intemperiem frigidam membri vel articuli) commiſceantur inter ſe, & fiat linimentum, quo articuli calidè inungantur. Euphorbio per ſe vtendum non eſt, nam ſua actiuitate quod tenue eſt diſſiparet, & quod craſſum eſt induraret: commodè ergo illi adiectum eſt oleum chamæmelinum, & axungia gallinæ, quæ emolliendi vim habent, & oleum maſtichis, quod ſua aſtrictione nouam fluxionem impedit. Neque profectò admirandũ, quod euphorbium extremè calidum, & cum morſu vellicans, commendetur,

tùr, tanquàm dolores lenire poſſit: nam ſunt nonnulli cruciatus, qui immutari nequeunt, quemadmodum Alex. Trallianus docet, niſi quid acrius illis admoueatur.

Si verò dolor fuerit magnus, & intolerabilis, non tamen vires proſternat, medicamentis anodinis, quæ temperata ſunt, & calorem noſtrum roborare poſſunt, atque materiam peccantem aliquo modo diſcutere, vtendum eſt in hunc modum: ℞. Lactis lib. ij. micæ panis albi M. iiij. coquantur ℈. ſ. deinde, addendo pulueris ſubtiliſſimi florum chamæmillæ, meliloti an̄ M. j. croci ℈ j. vitellos ouorum numero ij. olei roſarum chamæmelini an̄ ℥. j. ß. fiat cataplaſma ſecundùm artem, & calidè ſuper

iuncturas dolentes bis in die appli-
cetur: folia quoque caulis rubri, ſi
calidè ponantur ſuper locum do-
lentem ſudorem prouocant, &
dolorem leniunt. Lintea quoque
calida ſupra locum dolentē ita col-
locata, vt vno infrigidato alterum
ſtatim ſubſtituatur, dolorem miti-
gaſſe expertus ſum. Poſtquàm
hunc in modum dolor fuerit miti-
gatus, vera curatio inſtituenda eſt;
in qua ſummoperè curandum, ne
id quod tenue eſt diſcutiatur, & id
quod craſſum eſt indureſcat, quod
facilè contingit, ſi non emol-
lientia diſcutientibus coniungan-
tur, quæ ſemper augenda ſunt, vel
diminuenda ſecundum quod tu-
mor durus vel mollis eſſe appareat.
Si itaque tumor articularis à craſſâ
pituita

pituita natus fuerit, & cauſſa antecedens ad articulos adhuc fluat, tres intentiones curatiuæ ſumendæ ſunt, vna nimirum ad materiam fluentem, quæ repelli debet, altera ad materiam fluxam, quæ diſcutienda eſt, & ſi dura fuerit, priùs emollienda, tertia verò ad intemperiem frigidam partis, quæ contrarijs calidis ad mediocritatem eſt reducenda, quæ omnia hoc emplaſtro quod ſequitur, non incommodè fieri poterunt: ℞. Micæ panis triticij cum furfuribus M. ij. vini rubri ℔. ſ. coquantur parum, deinde addendo pulueris ſubtiliſſimi chamæmelini, meliloti añ M.j. croci ℈. j. olei chamæmelini roſarũ añ ℥.j. vel plus minuſúe ſecundùm quod tumor durus vel

mollis eſſe videatur, commiſceantur omnia inter ſe, & fiat cataplaſma calidè membris dolentibus applicandum. Loco verò cataplaſmatis prædicti, linimento huiuſcemodi non incommodè vti poteris, quod ſic habet: ℞. oleum roſarum ℥. ß. chamæmelini ℥. ij. ceræ ℈. ſ. croci modicum, fiat linimentum, quod lauetur vino albo, & eo inungantur leniter membra dolentia, quæ poſteà panno lineo cooperiantur. Si tumor multùm durus fuerit prædictis, adijciendum erit non nihil axungiæ gallinæ, anatis, vel ſimilium animalium. Si verò cauſſa antecedens fluere deſierit, loco olei roſacei, quod repercutiendi vim habet, chamæmelinũ vel anethinum ſubſtituen-

ſtituendum eſt. Si per errorem aliquem contingat id quod tenue eſt, diſcuſſum eſſe, & id quod craſſum eſt in membro relictum, tunc ſtatim vnguento altheæ ſimplici, deinde compoſito, vel axungia gallinæ locus eſt inungendus donec molleſcat: vel cataplaſma ex radice altheæ, ſemine lini, fœnigræci ſuper locum affectum eſt applicandum, donec omninò mollior eſſe videatur: quo facto fragmentum lapidis molaris ignitum acri aceto extinguendum erit, & fumus, qui validè diſcutit, & corpora neruorum minùs lædit, ad iuncturas eſt recipiendus: tum rurſum medicamentis emollientibus vtendum eſt, atque etiam fumo ex lapide molari, idque toties repe-

tendum eſt, donec omninò tumor fuerit diſſipatus. Si verò tumores articulares proueniant ab humore tenui & aquoſo, tunc omiſſis emollientibus, ſolis diſcutientibus & exſiccãtibus erit vtendum, qualia ſunt cerata & vnguenta, quæ ex ſale parantur. Verùm in quibus hæc minùs proficiunt, fomenta ex ſale torrefacto ſæpiùs mutata aptè accõmodantur, & plurimùm conferunt: balnea quoque calida & ſicca, qualia ſunt ſulphurulenta, plurimos iuuiſſe certum eſt, qualia ſunt quæ triplici loco apud Aquiſgranenſes exiſtunt, quorum primum diui Cornelij appellatur, ſecundum Imperatoris, tertium in pago Borget ſitum eſt, qui dimidij miliaris itinere ab Aquiſgrano diſtat.

diſtat. Verùm quemadmodum hæc balnea viribus non omninò iiſdem prædita ſunt (abundat enim primum bitumine, ſecundum ſulphure, tertium verò ſale atque alumine, licet omnia in ſingulis reperiantur) ita non quibuſlibet affectibus ſine diſcrimine adhiberi debent. Quoniam autem omnia validè exſiccant, nunquam concedenda veniunt corporibus ſqualidis, ſiccis & macilentis, alioqui enim ad conſumptionem deducerentur. neque etiam tempore æſtiuo, cùm ſol plurimum feruet. nam corpora ad extremam imbecillitatem deuenirent. neque etiam iis qui plurimis cruditatibus & ſuperfluitatibus laborant: nam metus eſt ne in habitu corporis obſtri-

ctio-

ctiones faciant, vnde febres periculoſæ prouenire ſolent. Oportet autem vt anni tempus ſit conueniens, corpus ægrotantis rectè præparatum, atque balneum quàm optimè temperatum. Tempus itaque ſit nec intenſè calidum, nec frigidum, ſed mediocre, quale vernum eſt & autumnale: tamen autumnale minùs conueniens vernali eſt, quòd corpora ſicciora atque imbecilliora reddat. Corpus ægrotantis exquiſitè purum eſſe debet ab omni copia ſanguinis, & multitudine humorum: præter hoc quoque fæces alui deieciſſe vel per ſe, vel balano, vel leui clyſtere prouocatum, antequàm balneum ingrediatur: & ſi conſtitutionem renum habuerit calidiorem, eo-

rum

rum regio antè quoque inungenda erit infrigidante Gal. quod in hunc modum paratum ſit: ℞. ceræ albæ, olei roſarum añ ℥. ſ. pro forma vnguenti, lauetur toties aqua communi pura, donec albeſcat, deinde iterum aqua roſarum, nouiſſimè verò aceto, balneum ſit aquæ recentis, in qua nemo ante natauerit: ex ſordibus enim quas alij in balneo depoſuerunt, vel ſcabies vel aliquis alius morbus contagioſus facilè contrahitur: & ſi calidius eſſe contingat, quàm vt corpora commodè ferre poſſint, per ſe refrigeretur, non autem affuſa aqua frigida, quemadmodum plurimi faciunt: nam ita plurimum deperditur de viribus aquarum medicatarum. Quibus ita rectè paratis,

manè

manè ieiunus æger balneum ingre diatur(quod diui Cornelij ſit,ſi tumorem aliquem durum in corpore habuerit : nam præterquàm quòd diſcutiat ratione bituminis, validè quoque emollit : Imperatoris verò,ſi ſine tumore aliquo duro plurimi humores collecti fuerint:nam ratione ſulphuris validè extenuat, atque diſcutit) in eoque ſine omni cibo & potu per integram horam ſe contineat, ſi vires ferāt:atque deinde linteis puris diligēter abſtergeatur, atque per mediā horā in lecto ſudor prouocetur, quo quoque diligenter abſterſo, veſtibus ſuis induatur, atque in loco temperato per duas horas maneat : quibus quoque tranſactis prandium ſumat,quod ſit boni ſuc

ci & facilis concoctionis, quemadmodum capite De præſeruatione ſatis dictum eſt. Potus ſit primò aqua hordei vel cereuiſia tenuis, deinde vinum pauciferum quod membra exſiccata facilè humectare poterit. A prandio balneum repetere conſultum non eſt: nam vires nimiùm proſterneret, atque ebullitionem in ſanguine procrearet. Atque hiſce quidē balneis vtendum eſt per decem, quindecim vel viginti dies, quod ex ægri robore, atque humorum diſcuſſione iudicandum erit: quibus peractis ægri ad balneum extra ciuitatem perducendi ſunt, vt nimirum membra nunc debilitata virtute ſalis & aluminis corroborentur, in eoq́ue perſeuerabunt ad ſex, ſeptē,
vel

vel octo dies, donec ſcilicet vires ſatis fuerint reſtitutæ. Si tumores proueniant à materia flatulenta, hunc in modum diſcutiẽdi erunt: ℞. olei rutæ ℥.j. olei chamæmelini ℥. ß. ceræ ℈.ſ. fiat linimentum addendo aquæ vitæ parum: vel locus foueatur ex vino in quo decocta ſunt ſemina fœniculi, rutæ, flores chamæmelini & ſimilia. Si tumores articulares ex diuerſis humoribus proueniant, diligenter eſt animaduertendum qui magis exuperent, à quibus quoque maior iudicatio curationis ſumenda eſt, reliquo tamen non neglecto, vt ſi craſſa pituita vnà cum multis flatibus fuerit coniuncta, in emplaſtro ea commiſcenda erunt, quæ vim habent emolliendi, diſcutiendi &

carmi-

carminandi, quæ omnia à perito medico ex prædictis facilè componi poterunt.

Poſtquàm hunc in modum tumor omnis fuerit diſcuſſus, articuli, qui debiles ſunt per ſe, & ex longo morbo debiliores ſunt facti, hunc in modum corroborandi erunt: ℞. florum chamæmillæ M.j. foliorum ſaluiæ, roriſmarini, maioranæ, ſtœchados, chamepytheos, añ M. ß. decoquantur in vino rubro auſtero ℥. ſ. & cum ſpongijs nouis, qui propter ſalem aſtrictionem multam adhuc habent, fiat fomentatió partium, donec ad naturalem ſtatum, quàntum eſt poſſibile, fuerint reductæ. quòd ſi nouæ non habeantur, veteribus per vnam noctem in aqua admodum

ſalſa infuſis vtendum erit: vel vtatur ſuffitu ex herbis prædictis: nam vapor calidus aperit poros, diſcutit, mouet ſudores & articulos corroborat: non incommodè quoque adhiberi poterunt, quæ capite De præſeruatione ad corroborandos articulos latiùs dicta ſunt.

De curatione ſciaticæ.

PLACVIT hîc paucis ſubijcere curationẽ ſciaticæ, eò quòd iiſdem ferè remedijs curetur, quibus morbus articularis; prætquàm quòd repellentia nõ admittat: ſed vice verſa ea requirit, quæ validè ex profundo cotyle trahunt, quæ tamen applicanda non ſunt, niſi priùs corpus exquiſitè fuerit

rit purgatum. Si itaque multus ſanguis abundare videatur, primò reuulſionis gratia vena ſecanda erit in brachio eiuſdem lateris, deinde altero die (ſi vires ferant) cauſſa euacuationis & deriuationis ſimul in pede ſub talo exteriore, tantumque ſanguinis detrahendum, quantum morbus requirat & vires permittunt: quòd ſi paucus ſanguis abundauerit, in ſolo pede venam ſecuiſſe ſatis eſt, quo tempore admodum conueniens fuerit, immo potiùs neceſſarium vt medicus adſit, & pulſum diligẽter exploret eo tẽpore quo ſanguis fluit: nam vulnerarij medici omnes ferè in aqua conſtituũt quibus ſanguinem ex pede detrahunt, vnde debita quantitas non obſeruatur,

ſed plus vel minus ferè demitur quàm morbus requirit, & vires permittunt. Id ipſum quoque vtile fuerit in omni venæ ſectione fieri. Si verò alij humores in toto corpore abundauerint, & vires permittant, ij vel acribus clyſteribus, vel validis purgationibus, vel crebris vomitibus, ſi æger facilè vomat, tollendi ſunt, quibus non tantùm humores peccantes expurgantur, ſed etiam reuulſio contingit. Quibus ita rectè peractis, vt humor noxius ex profundo cotyle extrahatur, validè cucurbitulæ, & emplaſtrũ ex ſtercore columbino, ceteraque veſicatoria loco dolenti applicanda ſunt: vel huiuſmodi linimento locus ſæpiùs eſt inungendus: ℞. olei liliorum, amygdalarum

rum dulcium, chamæmelini, de euphorbio añ ℥.j. ceræ ℈.ſ. fiat linimentum addendo aquæ vitæ parum. oleum quoque de euphorbio per ſe mirificè valet quando humores non ſunt admodum craſſi. Emplaſtrum quoque ex ſola terebinthina valdè vtile eſt: nam ſupra locum dolentem poſitum & ad aliquod tempus relictum (vt ſæpiùs expertus ſum) ſingulariter iuuat. Cerotum quoque de opicrocio valet, & ſimilia.

Plura hîc ex diuerſis authoribus mutuò ſumere facilè poſſem, ſed ea tantùm ponere placuit, quibus feliciter vſus ſum in praxi quotidiana.

De calculo.

CALCVLVS hominibus prouectæ ætatis frequētiſſimè prouenit in renibus, rarò autem in veſica: pueris contrà frequentiſſimè in veſica, rarò verò in renibus. Quanquam verò calculus ferè ſemper proueniat, vel in renibus, vel in veſica, nihilominus alio quoque loco eum generari non negandum eſt: vidi enim quendam D. huius ciuitatis Antuerpienſis, in quo poſt diſſectionem factam inuentus fuit magnus calculus inter rectum inteſtinum & collum veſicæ: vidi quoque alium, & ſub curatione mea habui, qui per tuſſim plures excreauerit lapides. Cauſſa calculi immediata eſt humor crudus, craſſus & viſcoſus in renibus

vel veſica contentus, & eorum ignea caliditas huiuſcemodi humorem in lapidem indurans. Quẽadmodum enim figuli ex terra craſſa & viſcoſa, & igne feruentiſſimo omnia vaſa ſua cõficiunt, ita quoque in corpore noſtro ex craſſo humore & viſcoſo, & caliditate ignea lapides generantur. Craſſus iſte humor prouenit ex alimentis craſſis, carne ſcilicet ſuilla, bubula, lacte maximè quando butyrum eſt extractum, caſeo, pane azymo & ſine furfure, & ex extremitatibus atque interioribus animalium, nimirum ex auribus atque pedibus, & inteſtinis, & omnibus reliquis interioribus, & piſcibus craſſis: vino quoque & cereuiſia craſſioribus. Ignea caliditas prouenit à vinis calidis,

longo mora ſub ſole, vel iuxta ignem, vel longo & quotidiano accubitu ſupra dorſum: vt plurimùm quoque morbus iſte hæreditarius eſt, ita vt à parentibus tranſmigret ad filios. Modus generationis calculi eſt iſte: cùm aliqua materia craſſa & viſcoſa collecta eſt, & hæret in aliquo meatu ſtricto & anguſto, & calor fortis in circumſtantibus membris conſiſtens intendit illam materiam digerere, commouere & aſſimilare, ſed non poteſt propter materiæ inobedientiam, tunc reſoluit id quod ſubtilius eſt, & reſiduum groſſum ita indurat, vt in lapidem conuertatur.

De

De ſignis calculi.

QVANDOQVIDEM in dolore colico atque calculo multa ſigna cõmunia proueniant (quę ſunt vomitus, ventris retentio, flatus, & diſtentiones vſque ad ſtomachum & iecur pertingentes) diligenter eſt animaduertendum ne decipiamur, ſicut paſſim multi, & princeps noſter Galenus fuit deceptus, qui in hunc modum de ſeipſo ſcribit libro ſecundo De locis affectis. Porrò memini mihi ipſi accidiſſe dolorem vehementiſſimum, vt videre mihi viderer in intimo ventre terebro perforari, in eo potiſſimùm ſpacio, per quod à renibus ad veſicam vreteres ſcimus extendi, clyſtere iniecto, ex-

creui ſimul grauiſſimo cum dolore humorem vitreum: equidem putabam lapidem in altero vreterum impactum, adeò erat (vt mihi videbatur) doloris ipſius ſpecies perforanti ſimilis, atqui vacuato humore, doloreque ſedato, manifeſtè conſtabat lapidem cauſſam non fuiſſe. Noui quoque quandam matronam Antuerpienſem, quam plures medici colico dolore laborare confirmabant, ego autem prima viſitatione (quia pes ſtupebat, & alia ſigna calculi erant) calculum eſſe iudicaui, quod tamen alij multis argumentis falſum eſſe dicebant, atque ita ego ablegatus fui, ipſi verò in curatione permanſerunt, continuòque calida & ſicca adminiſtrarunt, donec vitam cum

morte permutaret. diſſecto corpore magnus lapis in rene fuit inuentus, atque ego meo honori reſtitutus. Etſi autem (vt ex prædictis ſatis patet) difficulter ſit iudicare inter dolorem colicum & nephreticum, quia tamen prudentem & artificioſum medicum nihil latere debet, diligenter, quantum fieri poterit, eorum propria ſigna declarabimus, & diſtinctionem manifeſtam inter vtrumque inuenire curabimus. Quanquam ergo tã in colicis doloribus quàm nephreticis aluus ſtringatur, & flatus retineantur, id tamen multo efficaciùs in colicis cõtingit, quàm in nephreticis, in quibus inter curandum venter ſua ſponte ſæpè ſol uitur, & flatus erumpunt, quod in coli-

colicis non ita contingit: ſimiliter quoque licet in vtroque vomitus perſeueret, is tamen multò copioſior eſt, & magis crudus & pituitoſus in colicis, quàm nephreticis. Dolor quoque colicus perforatiuus eſt, & de loco in locum mobilis: nephreticus verò grauis, & vno ferè loco ſubſiſtens, niſi calculum è renibus moueri contingat, & per vreteres in veſicam deferri, quo tempore acerbiſſimum dolorem excitat, qui omninò quieſcit, poſtquàm in veſicam fuerit delatus. Vrinas quoque diligenter inſpicere oportet, quæ in doloribus colicis ſedimentum craſſum & copioſum habent, in nephreticis verò minus: & ſi diligenter conſideretur, arenoſa quædam in vrinis de-

pre-

prehendentur, ſubinde quoque ſanguis, poſtquàm nimirum calculus anguloſus per vreteres vel renes tranſiuerit, & ſua inęqualitate eoſdem læſerit: verùm quando in vreterib⁹ omninò fuerit impactus, tunc lotium vel nullum erit, vel omninò paucum, idque omninò tenue; quod in dolore colico non contingit. Sæpe etiam magna mingendi cupiditas eſt, & parum vel nihil mingunt: vidi tamen eos, qui ſatis expeditè mingebant, nihilominus calculo laborabant, in quibus reliqua ſymptomata diligentiùs conſideranda ſunt: vidi quoque ſæpe vrinam ſubnigram in ijs qui calculo laborabant. Signa quoque ab Hippocrate tradita libro ſexto Epide. particula prima

ma aphoriſmo quinto, diligenter conſideranda ſunt, quæ ſic habent: In renibus dolor grauis, cùm cibo impleti ſunt, vomuntque pituitam: cùm verò dolores abundauerint, æruginoſa, & leuiores quidem euadunt, cùm cibis euacuati ſunt, arenulæque rufæ ſubſident, & cruentum mingunt, ſtupor fœmoris è regione poſiti.

Pronogſtica. Lapis renum & veſicæ, quia vt plurimùm hęreditarius eſt, affectus hic inter initia, magna cum diligentia curari debet: nanque vbi perſeuerauerit, ac magnoperè increuerit ob dolores & vigilias, ſanguis corrumpitur, & vomitus ęruginoſus ſuperuenit: magnum quoque periculum imminet ne vires à vigilijs & conſtanti dolore deijcian-

antur, & delirium ſubſequatur, quod aliquando expertus ſum.

De præſeruatione.

QVI calculo obnoxij ſunt, & ab eo ſeſe præſer uare cupiũt, duo obſeruare debebũt, vt ſcilicet in ſex reb⁹ nõ naturalib⁹ debitè ſe gerãt, atque vt certis tẽporib⁹ medicamẽtorũ quoque rationẽ habeãt.

Aëris itaque omnes exceſſus vitabunt, præcipuè tamen frigus, à quo omnes corporis pori clauduntur: nihil quoque circa regionem renum admouebunt, vel applicabunt, quod eos calfacere poterit: quia calor renibus eſt inimicus. *Aer.*

Euitabunt quoque quantum fieri poterit, omnes animi motus, præcipuè tamẽ iram & mœrorem. *Animi affectus.*

Vita-

Somnus & vigilia. Vitabũt quoque culcitras ex plumis anſerinis cõfectas: nã renes nimium calefaciunt: ſomnos quoque longiores, præcipuè pomeridianos, & niſi de nocte ex aliqua occaſione fuerint impediti; de manè tempeſtiuè ſurgent, eoque tempore, poſtquàm aluus deiecerit, exercitio tum animi tum corporis commodiſſimè vtentur, non tamen exceſſiuè; ſed vſque ad ſudorem & anhelitus frequentiam magnitudinemque: ita tamen vt ab exercitio ſtatim ſe non exponant aëri frigidiori, nec etiam ilicò cibum ſumant; ſed ad tempus quieſcant: & ſi ſudor aliquis è corpore emanauerit, diligenter abſtergeatur:

Aſtinebunt quoque à longa & diutur-

diuturna ſtatione: nam eâ dolores exaſperantur. coitu quoque ſuperfluo: nam renes imbecilles reddit: ab eo quoque omninò abſtinebunt ſtatim à cibo ſumpto, alioqui incoctus raperetur ad iecur & renes, & occaſionem calculo præberet: ſed exercebunt poſt primum ſomnum, tribus vel quatuor horis à paſtu, quando à natura per ſe ſtimulantur: quo tempore quoque procurabunt, ſiue viri ſiue mulieres fuerint, vt ſperma expellatur: alioqui enim inflammatur, & calorem renum auget. Procurabunt quoque omni diligentia vt aluus ſingulis diebus onus ſuum deponat: quòd ſi id ſponte non fecerit, arte prouocanda erit, quod commodiſſimè fieri poterit,

Motus quies.

Excernenda. Retinenda.

terit, ſi ventriculus imbecillis non fuerit, iure carnis, in quo decocta ſit malua, mercurialis, & modicum ſacchari rubei: ſi verò fuerit imbecillis, ℥. ij. mellis roſati colati, quod prærerquàm quòd abſtergit ſiue purgat, ventriculum quoque corroborat. Eius quoque loco non incommodè ſumi poterunt decem vel vndecim caricæ pingues, vel duodecim pruna damaſcena cocta in aqua mellis, & illã aquã poſteà ſtatim ſuperbibere, vel ℥. ij. paſſularum per mediã horam ante prandium ſumptæ. Si verò ventriculus fuerit frigidus, venter prouocandus erit cõpoſitione diatriumpiperion ſimplici, eo modo confecta, quemadmodum Galenus tradit libro quarto De ſanita-

te

te tuenda, quæ ſumi poteſt ante & poſt cibum: vel pipere albo vnà cum cibo: hæc enim ventriculum calfaciunt, atque corroborant, eiuſque concoctionem adiuuant, & vltra eum vires ſuas non extendunt: roboratus autem reliquas operationes fœliciùs obit, atque excrementa quoque expellit. Huiuſmodi quoque clyſter non malè adhiberi poterit, quod ſic habet: ℞. maluæ, mercurialis, betæ añ M. j. fiat decoctio in iure carnium ad lib. j. in qua diſſolue ſacchari rubri ℥. ij. olei communis ℥. iij. commiſtis omnibus fiat clyſter, cui quoque ſubinde non malè aliquid diacaſſiæ commiſceri poterit. Tres quoque pilulæ de aloe lota pōdere ℈.j. rectè exhibebū-

tur: vel ℥. ß. terebinthinæ lotæ in aqua roſarum.

Cibus & potus.

Quantum ad cibum atque potum attinet, hæc obſeruare curabunt, vt nimirum duabus refectionibus, prandio nimirum & cœna ſint contenti, in ijſque vnico ferculo, eoque moderatè vtantur: ita quidem vt cum aliquali appetitu ſemper à menſa recedant, & ad eam iterum non accedant, niſi omnis antè ſumptus cibus fuerit concoctus, quòd ſi in prandio exceſſiſſe contigerit, tum rectè ab omni cœna abſtinebunt. Tempore prandij atque cœnæ, parcè bibendum eſſe cenſeo, intermedio verò tempore omninò nihil: nam ex largiore potatione ſtomachus relaxatur, & imbecillior redditur,

tur, vnde decoctiones deprauantur, & materia calculo præbetur. Atque hæc quidem de modo prandij atque cœnæ ſufficiant: nunc verò de alimentorum aſſumendorum ſubſtantia & qualitatibus diſſeramus, quibus calculoſis vti conuenit.

Quoniam autem calculus progignitur ex materia craſſa & viſcoſa, & ignea caliditate, omnia alimenta quæ huiuſcemodi qualitates augere poterunt, ſummoperè vitanda erunt, qualia ſunt omnia genera piſcium, carnes porcorum, boum, vaccarum extremitates, viſcera & inteſtina animalium, caſeus, lac, maximè quando butyrum eſt extractum, panis azymus, vel malè fermentatus, atque om-

nia animalia quæ in aquis degunt, omnia quoque aromata calidiora, qualia ſunt nux myriſtica , cinamomum & ſimilia . Vitanda eſt quoque omnis ceruiſia impura & craſſa , omne vinum nouum , & groſſum, & dulce, & quod inſigné aliquam caliditatem poſſidet. Sed eligenda eſt caro auium montanarum, vitulina, hœdina, pullorum, perdicum , caponum , phaſianorum , leporum , atque cuniculorum iuuenum : iura quoque in quibus huiuſcemodi carnes decoctæ fuerunt : oua quoque ſorbilia, vel in ſimplici aqua extra corticem elixa . In hyeme prò acetarijs vti conuenit oliuis atque capparibus: in æſtate verò intybo atque lactuca : pro ſecunda verò menſa poma

atque pira cocta nonnunquam rectè conceduntur. Vinum quoque eligendum eſt aliqualem aſtrictionem habens, & quod non admodum diureticum ſit, quale eſt vinum album Rhenenſe paruum & non admodum generoſum: non tamen tam paruum, quòd ſtomachus inde lædatur: vel vinum ſubrubrum paruum & tenue, non tamen exactè rubrum, quorum vtrumque aſtrictione quadam membra naturalia confortat, ſubrubrũ tamẽ quia magis nutrit, extenuatis quoque magis cõuenire putamus: quòd ſi tale nõ habeatur, aqua cocta modicùm diluatur: nam vinũ valde diureticum dúcit cibum ante perfectam concoctionem ad renes, atque ita cauſſa calculi exiſtit.

Non inconueniens quoque fuerit ſubinde in prima menſa hauſtum paruæ cereuiſiæ puræ, vel aquæ hordei, vel (vt Alexander Trallianus ait) aquæ tepidæ exhibuiſſe: nam ventriculum lauat, & renum caliditatem extinguit. Panis ſit è tritico puro & ſyncero cum furfuribus ſuis omnibus & ſolis, bene fermentatus, atque in clibano bene coctus, mediocris, nec recens humiditate excrementitia abundans, nec inueteratus & nimium durus, qui præterquàm quòd bonum nutrimentum præbeat, etiam abſtergit, obſtrictiones aperit, atque aluum mouet, vnde plurima commoda in iſto morbo prouenire certum eſt. Atque hæc quidem de vino & pane ſufficiant, circa quæ

quæ, quod in quotidianum vſum recipiatur, præcipua cura verſari debet. A ſumpto cibo omninò vel ſtandum eſt vel leniter deambulandum, vt leniter quoque cibus ad fundum ventriculi, vbi optima eſt concoctio, deſcendat. Profundæ quoque cogitationes ſunt vitandæ: nam ſpiritus à ventriculo ad cerebrum reuocant, vnde multæ cruditates ſubſequuntur, quæ materiam calculo præbent. Sed quoniam ob humanam imbecillitatem hæc exactè ſeruari non poſſunt, vel etiam ſi exactiſſimè ſeruentur, non tamen valetudinem ſatis conſeruant, medicamentorum quoque rationem habendam eſſe certis anni temporibus putamus. Bis itaque in anno

totum corpus exquiſitè ſecundùm humores peccantes purgandum eſſe ſtatuimus, vere ſcilicet & autumno, eo quidem modo, quemadmodum in curatione podagræ dictum eſt, excepto quòd aſtringentia non neceſſariò requirantur, tum in præparatione tum in purgatione, quia fluxus non timetur: & ſi ſanguis abundare videatur, venæ ſectio præmittēda erit, membra quoque debiliora, quæ ſunt ventriculus frigidus, & hepar atque renes calidi corroborāda ſunt: ventriculus quidem confectione diatriumpiperion ſimplici Galeni, quod conuenienter & ante cibum & poſt, & euntibus cubitum datur cochlearij pleni menſura, atque huius quidem vt paruis parui, &

maximis maximi, ita medijs ad portionem. Prætereà etiam zinziber quod ex barbaris affertur aceto maceratum, eſt enim id virentis herbæ radix à collectu ſtatim in acetum iniecta: extinguitur enim eiuſmodi medicamentorum calor circa ipſas primas venas, neque in totum perfertur corpus. Subinde quoque vti conuenit ſaccharo aromat. roſati, & huiuſcemodi vnguento, quod ſic habet: ℞. olei maſtichis, mentæ, abſinthij añ ℥. *ß*. olei maris ʒ.j. ceræ q. ſ. fiat linimentum addendo pulueris cariophillorum, nuciſmuſcatæ, cinamomi, corallorum rubrorum añ ℈.j. & eo liniatur ventriculus antè & retrò, vel eius loco emplaſtrum ſtomachale ventriculo applicetur etiã antè & retrò, atque omnia iſta me-

dicamenta continuētur donec intemperies frigida ſtomachi ſit ablata. Pro iecore verò corroborando, & eius caliditate extinguenda ſummoperè conducit vnguentum quod ſequitur: ℞. ceroti ſantalini ℥. j. olei abſinthij ʒ.ij. vel ſucci abſinthij, ſucci cichorij añ ʒ. ij.ß. pulueris agrimoniæ ℈. j. (vt vires hepatis meliùs conſeruentur) fiat vnguentum, & eo inungatur regio iecoris, æſtate tepidè, hyeme verò calidè: non inutiliter quoque huiuſmodi potio ſumi poterit, quæ ſic habet: ℞. cichorij cum toto M. ij: fiat decoctio colata ad lib.j. dulcoretur ſaccharo ℥. ſ. & aromate puluerum trium ſantolorum ʒ.ij.& exhibeatur tribus vicibus manè, atque iteretur donec in-

tem-

temperies calida iecoris ſit ablata. ſaccharũ quoque diarhon abbat. eſt cõueniẽs,ſi modicũ decoctionis cichorij ſuperbibatur. Pro renibus confortandis,& eorũ caliditate extinguenda, hoc medicamento vtendum eſt, quod ſic habet: ℞.infrigidantis Galeni recenter facti ℥. j.& eo inungatur regio renum tepido quidem in hyeme,frigido verò in æſtate : ita tamen vt vltra quartam partem horæ non relinquatur, ſed diligenter abſtergeatur, iterumq́ue fiat inunctio vt priùs, iterumq́ue abſterſio, idq́ue toties, donec ex ſenſu ægri & ex lotio omnis caliditas ſufficienter videatur ablata. Multum quoq́ue confert, ſi ſubinde in aqua dulci tepida regio renum balneetur: nã calidi-

caliditatem renum temperat, & calculum generari prohibet. Bonum quoque fuerit, ſi ſubinde ſacculus ex puluere roſarum & ſantalorum ſupra renes applicetur. Vtendum quoque huiuſcemodi decoctione, quæ ſic habet: ℞. radices graminis ℥. j. hordei mundati, foliorum violarum añ M. ß. ſe. melonum ʒ.ij.ß. trium florum cordialium añ p.j. fiat decoctio colata ad lib.j. dulcoretur ſaccharo, & fiat potio pro tribus vicibus manè, & continuetur, donec calor renum ſufficienter fuerit extinctus. Sumatur quoque ſæpè manè ieiuno ſtomacho conſerua roſarũ, maximè quæ ex Hiſpania adfertur: nam non vſque adeò ſtomachum refrigerat, quàm noſtra, & tamen ſatis euiden

ter

ter caliditatem renum extinguit, eoſque confortat.

De curatione caculi.

SI CALCVLVS magnũ & intolerabilẽ dolorẽ excitat, is ſtatim mitigandus erit: nam alioqui grauia ſymptomata (vt ſæpiùs vidi, maximè in domina de Stralé) excitat, quæ ſunt delirium, ſyncopis, tanta quidem vt aſſiſtentes inter mortem & vitam dijudicare nõ poſſint, & cõtinuus vomitus: quare etiam fruſtrà per os aliquod medicamentum propinatur; ſed clyſteribus, fomentationibus & vnguentis vtendum eſt, quæ dilatandi, lubricandi, atque dolores miti-

gan-

gandi poteſtatem habent,quorum formulas ex ordine conſtituemus, vbi priùs de ſyncope nõnulla dixerimus à qua certè æger (quòd periculũ mortis nobis ſignificet)ſtatim bonis odoribus ſpiritus naturæ humanæ confortantibus liberandus erit. Quia tamen mulieres vnà cum dolore nephretico ſuffocatione matricis laborare aliquãdo contingit, diligenter animaduertendum eſt, à quo ſyncopis præcipuè proueniat, & ei ſecundùm propriam rationem curationis occurrendum erit: ſed nunc ad remediorum formulas reuertamur,quæ ſic habent: ℞. maluæ, parietariæ, foliorum caulium rubrorum añ M. j. radicum altheæ ℥. j. ſeminis lini ,fœnigræci añ ℥.j. fiat decoctio

colata

colata ad ℥. viij. in qua diſſoluatur caſſiæ recenter extractæ ℥. j. vel diacaſſiæ ℥. ij. olei amygdalarum dulcium, olei ſcorpionum añ ℥. j. ß. commiſtis omnibus fiat clyſter, quod non malè quoque fieri poterit ex oleo communi, & modico ſeminis altheæ & aniſi pulueriſati. In iſto caſu clyſter nunquam excedere debet quantitatem lib. vnius: nam alioqui ſua copia renes comprimeret, & dolorem exacerbaret. Frequentia itaque atque iteratione ſupplendum eſt, quod aliàs copia fieri ſolet. Huiuſcemodi quoque decoctione regio renum foueatur, quæ hîc habetur: ℞. radicum altheæ, ſaxifragiæ grani añ ℥. iij. foliorum caulis rubri, pimpinellæ bethonicæ, cetrach añ M.j. florum

chamęmillę M.j.ſeminis lini,fœnigræci an̄ ℥.j.fiat decoctio in duab⁹ partibus aquę,& tertia vini albi tenuis q.ſ.ad lib.quatuor, & cum ſpō gijs regio renū,vel locus dolens ca lidè fomētetur: vel iſto decocto & oleo cōmuni an̄ partibus ęqualib⁹, vel ſolo oleo cōmuni veſica impleatur,& tepidè loco dolenti applicetur,cuius loco quoque vti cōuenit filo cocto ex lixiuio, cineribus, & tertia parte olei communis,quo facto,hoc linimēto locus inungatur: ℞.olei ſcorpionis ℥.j. olei amygdalarum dulciū, amararum, chamæmillę an̄ ℥.j.axungiæ gallinæ, cuniculi,muccilaginis,ſeminis altheę an̄ ℥.ß.ſeminis altheæ puluerifatæ ʒ.j. ceræ q.ſ.fiat linimentū, quo regio renum,vel locus dolēs poſt prædi-
dictum

ctam fomentationem inungatur. Quòd ſi dolor iſtis non cedat, ſed perſeueret, prædictum clyſter repetatur, & ei adijciatur hierę picrę ſimplicis Gale. cum melle ℥. ß. vel ʒ. vj. & poſtquàm operatũ fuerit, huiuſcemodi emplaſtrũ loco dolenti applicetur: ℞. maluæ, biſmaluæ, ſeminis altheæ, ſeminis lini, butyri recẽtis, caricarũ pinguiũ añ ℥. j. florum chamæmillæ M. j. ſeminis fœnigræci ℥. ß. fiat decoctio in ſufficiẽti quãtitate aquæ, & deinde cũ oleo ſcorpionum, liliorũ, violarũ, amygdalarum dulcium, & amararum, axungiæ anatis, & cuniculi añ ℥. ſ. fiat cataplaſma, addendo croci ℈. j. & ſuper locũ dolentẽ applicetur, atque ſingulis dieb⁹ bis renouetur. Quòd ſi hic ita quidẽ calculus è loco ſuo di

 mouea-

moueatur, ſed fixus in renibus perſeueret, cucurbitula ſub renibus affigenda eſt, & deinde alia paulò inferiùs, & deinde tertia, atque ita cõtinuò donec ad inguina deuentum fuerit, vt ita nimirũ calculus in veſicã deſcendat. Quòd ſi ne ita quoque negocium ſucceſſerit, æger per integrã horã in huiuſcemodi balneo vltra regionẽ renum ſe contineat: ℞. maluæ, altheæ, foliorum raphani, ſeminis dauci, millefolij, bethonicæ, caulis rubri, apij, parietariæ añ M.iij. vel iiij. fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquæ, in qua æger (vt prædictum eſt) balneetur per integram horam, ſi tam diu ferre poterit. Quòd ſi dolor tam vehemens non fuerit, vt vires proſternat, & cõtinuò vomitũ excitet, ilico

co omnis cauſſa antecedés auferenda erit: quòd ſi magna plenitudo fuerit, aut inflammatio circa renes, venæ ſectione primùm brachij è directo poſiti, deinde etiã pedis ſub talo exteriore, in quo ſtupor eſt, fieri debet. Si verò non ita magna plenitudo fuerit, in ſolo pede venã ſecuiſſe ſatis erit. quòd ſi ſine plenitudine ſola cacochimia peccauerit, medicamẽtis purgãtib⁹, & lubricantibus materia antecedens purgãda erit, quibus viæ laxantur & dilatantur, per quas calculus deſcendere debet, & interim materia antecedés ſufficienter expurgatur: huiuſmodi autem ſunt caſſiæ pinguis recenter extractæ ℥.j. vel ʒ.x. cum ℥.j. vel ʒ.vj. olei amygdalarum dulciũ recenter expreſſi, vel mannæ electæ ℥.ij. cum

pingui iure carniũ, & olei amygdalarũ dulcium ℥.j. Nõ improbauerĩ tamẽ medicamenta fortiora quæ laxando purgant: vidi enim quandã mulierem, quæ cùm à ſumptione huiuſcemodi medicamenti pituitã purgantis parte oneris fuiſſet leuata, excreuit tres calculos albos & adhuc molles, magnitudinis amygdali, & in poſterũ bene ſe habuit. Quibus ita ritè peractis, ſi calculus adhuc fixꝰ in loco ſuo permaneat, ad ea quæ calculum frangentia dicuntur, deueniendum erit, quibus non incõuenienter lubricantią, & ſubinde quoque diuretica commiſcentur: cuiuſmodi ſunt ea quæ ſequuntur: ℞. aquæ diſtillatæ ex limonibus ℥.ij. olei amigdalarũ dulciũ recẽter expreſſi ℥.j. vini albi ℥.j.

ß.vel

Digitized by Google

ß.vel quantũ ſatis eſt, nuciſmuſcatæ, macis pulueriſatarum añ ℈.j.vel ℈.ß. miſcendo fiat hauſtus, qui ſumatur ieiuno ſtomacho mediocriter calidus: nã tepida ſtomachũ relaxant atque vomitũ mouent, qui certè ratione olei amygdalorũ dulciũ vias dilatat, ratione verò limonum calculum mirificè frangit: ratione verò nuciſmuſcatæ, & macis medicamentũ ad renes deriuatur. Deinde ℞.bethonicæ M. ij. cicerũ rubeorum ℥.j.fiat decoctio in aqua mellis deſpumata colata ad lib.j.in qua diſſoluãtur oximellis ſimplicis ℥.iij.nuciſmuſ.ʒ.j.fiatque potio pro iij.vicib⁹,vel ℞. radicũ graminis ℥. iij. fiat decoctio in aqua mellis bene deſpumata ad lib.j.coletur & aromatizetur cinamomi ʒ.j. & fiat

potus pro tribus vicibus manè, vel
℞. ſucci limonũ ℥.j.ß. vini albi ℥.ij.
ſacchari, pulueris nuciſmuſcatæ añ
modicũ: fiat hauſtus, vel ℞. betho-
nicæ, capillorũ veneris, ſaxifragiæ,
pentaphilli añ M.j. foliorũ violarũ
M.ß. radicũ altheæ, Glycyrrhizæ ra
ſę añ ʒ.ij. radicis aſparagi, graminis,
ruſci, petroſelini, apij, añ ℥.ß. ſemi-
nis dauci ʒ.j. milij ſolis ʒ.ij. melonis
ʒ.ij.ß. florum geniſtę, bugloſſę, vio-
larum añ p.j. fiat decoctio ſecũdùm
àrtem colata ad lib.j.ß. aromatize-
tur ʒ.j. cinamomi, & dulcoretur ſac
charo q.ſ. de qua ſumat manè & veſ
peri ante paſtũ hora ſexta (ſi ęger pa
rum aut nihil in prãdio comederit,
alioqui eo tẽpore à prãdio ſumẽdũ
non eſt) ℥.vj. vel ℞. ſanguinis hirci
pręparati ʒ.j. decoctionis graminis,
&

& cicerum rubeorum in aqua mel lis ℥.iiij.fiat hauſtus, repetaturq́; to ties quoties neceſſarium videatur. Extrinſecus quoque omnia ea medicamenta applicari poterunt,quæ paulò antè fuſius explicata ſunt capite De mitigatione doloris.Quib⁹ ſi negociũ nõ ſucceſſerit,iſto quod ſequitur vtendũ erit: ℞.foliorũ mal uæ,paretariæ , radicũ raphani,porcorũ añ M.j. radicũ altheæ ℥.j.ſaxifragiæ ℥.j.ß.coquãtur omnia,& cõtundãtur,atque addendo olei ſcorpionũ ℥.iiij.lapidis lincis ʒ.ij. ſeminis dauci,& milij ſolis añ ʒ.j. fiat cataplaſma,& bis in die,vel ſemel ſuper locũ dolẽtẽ applicetur.Quòd ſi ne ſic quidẽ malũ ſuperetur,nõ inutile fuerit aquas ferratas vltra Leodiũ in pago Spae ſcaturiẽtes bibiſſe,

nã vt lõga experientia probatũ eſt, plurimi ex earũ vſu ſingulare pręſidiũ acceperũt. In vſũ autẽ recipiuntur corpore exquiſitè purgato mẽſe Iunio, Iulio, atq; Auguſto, cùm ſol plurimùm feruet, & cœlũ omninò eſt ſerenũ: nã pluuia ex altis mõtib⁹ in fontẽ dilabente, ipſam aquã viciari cõtingit: bibuntur verò manè frigidę, ieiuno ſtomacho, ita tamen vt primis diebus parcius ſumãtur, poſtquàm verò vẽtricul⁹ & palatũ ijs aſſueuerint, id quod paucis diebus accidit, liberalius ad octo, nouẽ vel decẽ ad ſummũ vncias ingerantur, prout ſcilicet natura cuiuſq; id ferre, atq; ad actũ deducere poterit, maiorẽ quantitatẽ aſſumpſiſſe conſultũ nõ eſt: vidi enim quandã dominã, quę ex potu liberaliore in dy

 ſente-

ſenteriā incidit, adeò grauē & moleſtā, vt omnes medici de eius vita deſperarēt. A prādio potationē iteraſſe calculoſis cōueniēs non eſt: nā ob imbecillitatē ventriculi, qua omnes ferè laborāt, ſēper tūc cruditates in eo coaceruātur, quę his aquis ad rēnes facilè deducuntur, & materiā calculo prębēt. Cōtinuatur autē potatio ad iiij. v. vel vj. hebdomadas, ad exigentiā ſcilicet morbi. Victus ſit boni ſucci, & facilis cōcoctionis, queādmodū cap. De pręſeruat. declaratū eſt. Quòd ſi ob certa impedimēta ad locū ipſum proficiſci nō detur, & domi pręſcriptā dietā ſeruare placuerit, ſummoperè curādū eſt, vt aqua è loco adferatur, quātū poſſibile eſt, nulla ſua qualitate deperdita vel immutata, quod in hūc modum

modū cōmodiſſimè fieri poterit. Eligatur vas magnū, purum, & ſynceru, ac prędicta aqua ad ſummū vſq; impleatur, ac diligēter cooperiatur, ne aër extern⁹ aliquo modo ingreſſum habeat, aquāq; corrūpat: eligatur quoq; vaſculum minus, atq; aqua, vt prędictū eſt, impleatur, eaq; ſingulis dieb⁹, quod in maiori vaſe fuerit abſumptum, reſtituatur: ita enim fiet vt aqua minus cōmoueatur, atque minus quoque corrumpatur. Licet autē hoc modo aqua quàm optimè conſeruetur, attamē è viua ſtatim ſcaturigine ſumpta multis partibus melior eſt, quòd omnes ſuas qualitates integras & ſynceras habeat, quę ſemper aliquo modo, dum de loco in locum trāſfertur, mutatur.

De

De curatione calculi veſicæ.

QVIA calculus veſicæ durior eſt, quàm calculus renũ, & lõgiùs quoque ab ore diſtat, fortiora quoq; remedia requirit, ſiue exterius applicentur, ſiue interiùs adhibeantur. Exterius quidẽ adhiberi poterũt omnia ea, quę ſuperiùs declarata ſunt, ſi nimirum ʒ.ij. ſanguinis hirci præparati adijciantur, & non ſuper regionẽ renum, ſed veſicæ applicentur: interius quidẽ adhibenda ſunt, tum per ſuperiora, tũ per inferiora: per ſuperiora quidem hoc modo: ℞. radicum graminis ℥. j. apij (vt reliqua ducãtur ad veſicã) ʒ.ij. cicerũ rubeorum ℥.j. fiat decoctio colata ad ℥.v. in qua diſſoluantur ſanguinis hirci ʒ. j .ß. & dulcoretur ſaccharo q.ſ. fiatque hauſtus,

qui toties repetatur,donec iuuamẽ ex eo percipiatur; vel ℞. radicũ ſaxifragiæ ℥.j. foliorũ bethonicæ M. ß.ſeminis melonis, amygdalarum amararum añ ʒ. ij. fiat decoctio colata ad ℥.iiij.in qua diſſoluatur ſanguinis hirci ʒ.j.ß.ſucci limonum ℥. ij.vini albi ℥.j.pulueris nuciſmuſcatæ ℈.j.miſceantur, & fiat hauſtus, repetaturq́; toties donec iuuamen ſentiatur. Per inferiora quidẽ hæc exhibenda erunt:℞.olei ſcorpionũ cõpoſiti,olei liliorum, amygdalarũ amararum añ partes æquales, ſucci melonũ ℥.iij.ſanguinis hirci ℈. iiij. vini ℥.ij.cõmiſceantur,& per ſyringam in fiſtulã vrinariam inijciatur. Succus melonum per ſe mirificè valet in frangẽdo calculo,ſed quia veſica neruoſa facilè lędatur à frigidis,

dis,non tutè in veſicā inijci poterit, niſi vel vinum album, vel decoctū radicum graminis, & cicerum rubeorum illi cōmiſceantur. Curationis tēpore victus erit lac amygdalinum ex amygdalis dulcib⁹ & amaris cōfectū, hordeatū quoq; cum ſeminib⁹ limonum, & amygdalis dulcib⁹ & amaris. Ius carnium, in quo decocti ſunt ciceres rubri, quæ omnia viasdilatāt, & lubricāt, & calculū frāgere poſſunt. Quòd ſi vires nō ſatis cōſtét, cōtuſum pulli exhiberi poterit. Vinum ſit album, tenue, purum, & nō admodum generoſum.

Plurima & hîc ex aliorum ſcriptis facilè adijcere poſſem, ſed ea tantùm declarare placuit, quibus in praxi quotidiana hactenus fœliciter vſus ſum.

τέλος.

Lectori.

Vbicunque inueneris 9.ſ.lege q.ſ.id eſt,quantum ſufficit.

EXCVDEBAT ANTVERPIAE CHRISTOPHORVS PLANTINVS IIII. OCTOBRIS, ANNO M. D. LXIIII.

526/652

Digitized by Google